



BU Kp
8

Y 9 4 8
G 11

I. N. J. 40
DISPUTATIO
INAUGURALIS MEDICA, 4
De
DIABETE,

QUAM
Assistente Divini Numinis Gratiâ

Indultu
INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ

In
ILLUSTRI ACADEMIA HASSO SCHAUMBURGICA
Sub PRÆSIDIO

VIRI *Experientissimi & Clarissimi*

DN.

JOHANNIS GERHARDI

M B S N E S E R /

Philos. & Medicinæ Doctoris, Hujusdemque, ut & Physices
Professoris Ordinarii, h. t. DECANI spectabilis,
Promotoris & Patroni sui æternum devenerandi,

Pro LICENTIA

Summos in Medicina HONORES & PRIVILE-
GIA DOCTORALIA legitimè capeſſendi

Publico examini solito more sistit

IN AUDITORIO MAJORI.

Ad dies 6. & 7. Aprilis, horis antemeridianis.

JOHANNES HENRICUS OTTERSMAN,
Paderbornensis.

  
RINTELII, Typis Godof. C. Wächters / Acad. Typ. An. 1685.



7





Σὺν Θεῷ!

Procœmium.



Quamvis corpus humanum ferè innumeris & diversis morbis sit obnoxium; & nullam in illo reperire nobilem partem detur, nullumque membrum, nedum articulum, qui non suos patiatur affectus, quique non medicam aliquando requirat opem; quidam tamen ex illis gravioribus & pluribus symptomatibus stipati invadunt, certiusque portendunt exitium. Qui proinde præ aliis à Medico diligentissimè considerandi atque cautè tractandi sunt. Inter hos non ultimum locum obtinet affectus ille gravissimus, qui DIABETIS nomine apud practicos venit. Apud veteres adeò rarus fuit hic affectus, ut multi celebres Medici nullam ejus fecerint mentionem; Et Galenus duos tantùm ab eo laborantes se vidisse referat de locis affectis capite 3. R. Moses verò in Occidente nullum se vidisse scribat aph. part. 8. Nostro autem seculo intemperantia magis dedito, affectus hujus exempla ut crebrò occurrunt, ita certissimè, nisi opportunè medela adhibeatur, agros jugulat, acerbis doloribus, colliquatione partium, largissimâ seri secretionem, & per vias urinarias excretionem, aliisque funestis symptomatis corpus miserè ex-

A

cris.



cruciando & consumendo. Hinc non inutilem me suscepisse provinciam existimo, cum gravem hunc affectum attentius examinare, ejusque causas, quaeque illi tollendo curatio conveniat, pro ingenii mei modulo, paucis exponere, eruditorumque censura disputationis Inauguralis loco, Deo benedicente, subjicere decrevi. Tu interim Benevole Lector aequi bonique consule & conatibus hisce fave.

THESIS I.



Rius verò, quàm realem hujus affectus tractationem suscipiam, nominalem tradere me jubet ordo vulgò receptus. Diabetes igitur vox origine Græca est, derivata à verbo διαβαίνω, quod est transeo. Sic dictus est affectus inde, quòd potum citò per meatus urinarios in illo transire olim creditum fuerit. Hodie, postquàm latinitate, sicut & aliæ v. c. phrenitis, diarrhoea &c. donata est, retinetur in Medicorum Schola.

I I. Interea tamen aliis nominibus, tum Græcis tum Latinis Scriptoribus venit, videlicet *διψάνη*, ob sitim, Hydropis ad matulam, diarrhoeæ nephriticæ, urinæ profluvii &c. *vid. Galen. de loc. affect. l. 6. Sennert. l. 3. p. 7. c. 2.*

I I I. Notandum autem sub Diabete minimè comprehendi largam illam urinæ excretionem insignibus potatoribus, statim ab assumpta potulentorum copia, propriam; Cujus exempla admiratione digna



digna apud Zacut. *Lusitan. lib. 2. prax. admirand. Obs.*
71. *Saxon. prælect. pract. part. 2. c. 34.* aliosque legere
licet. Hic enim inter assumpta liquida & urinæ sub-
sequens profluvium proportio est; illic non. Nec
urinæ incontinentia cum illo confundenda est, ut po-
te quæ phænomena paulô post recensenda sibi ad-
iuncta non habet. Nec urinæ profluvium criticum,
quale in quibusdam affectibus etiam post potum par-
cè assumptum satis largum esse solet; siquidem hoc
cum euphoria, & sine ulla vitium jactura contingit;
Nec tandem illud urinæ largum profluvium, quodâ
medicamentis vel alimentis diureticis assumptis in-
ductum est.

I V. Sed missâ Onomatologia, realem nunc
morbi hujus tractationem suscipio. Ubi tamen
nec descriptionum ab aliis allatarum examine,
nec definitionis alicujus Logicæ inventionem tempus
inutiliter teram, sed phænomenorum ab hoc morbo
inseparabilium historiam nectam, è quibus ille infal-
libiliter Medico innotescit.

V. Sunt autem illa, lotii crudi & aquosi sine
sedimento celer⁹ & copiosa, & quidem assumptorum
liquidorum quantitatem longè excedens excretio,
sitis intensa & inexplebilis ferè, febris lenta & velu-
ti hectica, corporis marasmus. Hoc itaque Sym-
ptomatum satellitio stipatus morbus pro diabete cer-
tò habendus est.

V I. His phænomenis plerique veterum po-
cus aut parùm aut nihil quoad consistentiam, odo-
rem, colorem & saporem immutati excretionem ad-
dunt



dunt. Quod phænomenon tamen consummati tantum diabetis indicium esse existimo, quando omnes omnino digestiones in œconomia vitali, ob viscerum fermenta prorsus vappida ac inertia, cessant; non verò incipientis; quo tempore quædam adhuc, quamvis debilis assumptorum liquidorum alteratio superstes est.

V I I. Saporem urinæ Diabeticorum dulcem, ac si saccharo aut melle illa imbuta esset, in omnibus, quos vidit, se deprehendisse affirmat *Cl. Willisius* indeq; in universis ita se habere credit. Dubito tamen, an hoc phænomenon cum causis hujus morbi à laudato Authore allatis consistere omni tempore possit; unde fortè in statu talis ab eo observata fuit, vix in principio.

V I I I. Pro Causa Diabetis renum facultatem attractricem justò fortiolem, veterum quidam venditârunt. Sed sine causa. Alii enim eodem jure causam huic contrariam, viz facultatem retentricem insigniter debilitatam assignant. Quid? quòd facultatum illarum natura vel concipi, vel ab ipsis earum fautoribus nullo modo explicari queat. Ne dicam, nullum corpus in tota natura per tractionem moveri.

I X. Accedit, quòd tantus nec in venoso genere nec in renibus, nec alio viscere calor unquam esse possit, quem facultatem attractricem intendere illi supponunt; cum calida intemperie laborent multi, qui tamen diabetem inde non patiuntur. Unde rectè sentit *Fernelius de part, morb. & symp. lib. 3. c. 13.*

Vix



Vix aliquem deprehensum esse, qui copiosæ hujus mictionis non aliam, puta præter calidam renum intemperiem, causam haberet.

X. Hanc aliam & veram Diabetis causam esse existimo massæ sanguinæ deliquium seu fusionem in ichorem, non quidem ab insigni renum, venarum, hepatis, lienis &c. caliditate, ut Sennertus; Sylvaticus, Platerus alii que volunt, sed potius à fermento vitioso sanguini communicato inductam; unde hujus compages adeò laxatur atque dissolvitur, ut totus in laticem aquosum per renes & meatus urinarios citò descendentem, deliquescere aptus fiat.

XI. Hoc fermentum esse sal quoddam nitrosum & acre in renibus hospitans, massamque sanguineam in serosum liquamen fundens, prædictaque symptomata inferens statuit Paracellus *lib. de Tartar. Tr. 3. c. 2.*

XII. Meo judicio, fermentum illud, ut ex effectu colligere licet, est salino fixum, seu acre quoddam & acidum sylvestre & omni spirituositate privatum, adeoque vappidum, insigni verò virtute corrosivâ, ^{prædictam} quâ massæ sanguinæ stamina incidere dissolvere, ac in serosum liquamen convertere potens est.

XIII. Huic assero fidem faciunt liquores acidi, v. c. spiritus vitrioli, salis, pomaceum, vina acida &c. diuresin mirum quantum promoventia & intendentia, certè non alio modo, quàm sanguinis partes chylosas & ramosas dissolvendo & incidendo, illiusque compagem ita relaxando, ut serum copiosè dimittat, ac per renum tubulos ad ureteres, usque transmittat.

A 3

XIV,



X I V. Edictis liquet, causam Diabetis proximam rectè in sanguinis massa non tantùm, sed etiam in partibus solidis quæri. Ut autem hæc veritas magis elucescat, breviter inquirendum 1. In sanguinis texturam naturalem. 2. Unde fermentum illud sanguini & partibus solidis maximè communicetur & 3. Quomodò liquamen illud serosum à sanguine secernatur & per meatus urinarios præcipitetur.

X V. Quod igitur ad *primum*, noto: Liqueorem illum vitalem purpureum è duabus partibus esse conflatum: Unâ chylosâ, albicante, ramosâ, dulci, & dum refrigeratur, in lentorem concrecente, quam propterea fibrosam utrumque vulgus dicunt; estque verus succus nutritius & partium alimentum: Alterâ verò rubicundâ, quæ amaras, salvas, aquosas, serosas, aliasque sexcentas (ut Hippocrates loquitur) diversæ indolis particulas sub se complectitur. Plura de hac textura post Malpighium ingeniosissimum, videre licet in Sylvani *Phys. spec. 2. part. post. c. 3. th. 54. & seq.*

X V. Ab harum partium legitimâ permissione sanguinis naturalem crasin & temperiem ita pendere existimo, ut, simulac illa turbatur, & vel una ex illis abundans rerum potitur, aut divortium patitur; animalis œconomia à statu naturali & vigore suo dejiciatur, corpusque vel præter modum augeatur, vel emacietur.

X V I I. Illius instantiam nobis præbet obesitas nimia, à nulla alia causa, quàm partium sanguinis chylosarum abundantia, earumque prompta in fi-
bra



brarum partium solidarum interstitiis quiete, indurata. Hujus verò manifesta sunt exempla in tabe, febribus heceticis, ut & malignis ac similibus morbis, in quibus partes sanguinis acres, acidæ aliæque corrosivæ dominatum exercentes nutritionem destruunt, partiumque stamina incidendo & dissolvendo extremam maciem inferunt.

XVII. Hinc Felix Platerus, Practicus felicissimus, non sine omni ratione verum Diabetem, in quo subita corporis colliquatio cum calore & siti intolerabili excitata, febris ardenti & colliquativæ accidere, & proinde, ut febris hæc rara est, ita rarum hoc & periculosum symptoma ipsi copulatum esse existimat. Quam tamen copulam necessariam non esse, ut laudatus vult Autor, inde patet, quòd non rarò febres colliquativæ sine Diabete, & contrariò quoddam symptoma, sudore scilicet effuso vel diarrhoea largâ, comite, invaserint.

XIX. Adhuc luculentior ille particularum corrosivarum in sanguinea massa dominantium effectus est in diarrhoea colliquativa, sudore colliquativo (qui olim in Anglia tempore Henrici Septimi epidemius erat, indeque sudor Anglicus dicitur) Hydrope & signanter in Diabete. Quare hos affectus ratione causæ proximæ nihil, vel parùm; sed saltem quo ad motum serosi liquaminis per hoc vel illud excretorium differre, mihi persuasum habeo, contra quàm vult *Illustris Willis pharm. rat. sect. IV. c. 3.* Ubi Diabetem & hydropem diversas habere causas contendit.

8

X X. Si fortè querat B. L. Unde ergò illa liquaminis in motu diversitas pendeat? R. Unumquodque corpus eò moveri facillimè, quò vel nulla vel debiliora offendit obstacula, secundùm immutabilem legem naturæ primam à Dn. Des Cartes *Princ. Phil. part. 2. art. 37. & seq.* expositam. Hinc si particulæ colliquescentes expeditiores inveniant vias ad corporis peripheriam, constituunt *sudorem Anglicum*; si ad intestina, *diarrhœam*, si in musculorum interstitiis subsistere cogantur, *anasarcam*; si ad abdominis vel pectoris cavitates sine offendiculo ferantur *ascitem*; si verò à venarum osculis in partibus solidioribus promptè excipiantur, atque cum sanguine circulari motu ad renes inoffensò pede tendant, *Diabetem* efficiunt.

X X I. Nec parum lucis his foeneratur Ischuria, seu totalis urinæ suppressio, quæ morbus est Diabeti contrarius, cujus causa sine omni dubio in partium sanguinis chylosarum & ramosarum redundantiâ, exindeque pendentem debitò strictiorem illius compagem rejicienda est, ob quam particulas serosas agrè dimittit. Illam verò indigito Ischuriam, quæ nec à calculo, nec inflammatione, nec alia causa in renibus, ureteribus cæterisque viis urinariis post mortem manifesta, inducta est; cujus exempla notavit Cl. Willis *pharm. rational. sect. 4. c. 3. p. m. 102. & 103.*

X X I I. Nec minùs ex Medicamentorum diureticorum & diaphoreticorum operandi modo illa veritas elucet: Quippe quæ non aliâ quàm massæ sanguinæ particulas ramosas vel diluendo & disso-



dissociando (ut aquosa) vel dissolvendo ac incidendo
(qualia sunt salina) vel utrumque præstando (quod faci-
unt liquores acidiusculi, v. c. succus citri, limonum
&c.) diuresin & diaphoresin promovent.

X X I I I. E dictis patet ratio horum phæ-
nomenorum; quod in valde obesis ut plurimum, et-
iam à potentissimis diureticis & diaphoreticis, vix un-
quam feliciter succedat diuresis ac diaphoresis; in
macilentis verò tam facilis plerumque à debiliori me-
dicamine fit ille motus, ut non rarò urinâ vel sudo-
re diffluere videantur: Enim verò, *illud* est à par-
tibus sanguinis chylosis, quatenus spicula salina me-
dicamentorum illorum lentore suò obducunt & ob-
tundunt, eorumque energiam tantoperè sistunt, quò
minùs massæ sanguineæ dissolutio aut strictioris hujus-
dem compagis laxatio fieri possit: *Hoc* verò est à par-
ticularum serosarum, salinarum, similiumque abun-
dantia, ob quam sanguinis compages in macilentis jam
laxa facillimè magis laxatur ac resolvitur.

X X I V. Simile quid apparet in lacte: quo
enim hoc plures in se continet particulas ramosas seu
butyrosas, eò strictior est ejus compages, eoque diffi-
ciliùs per colum trajicitur; quò plures verò serosas
complectitur & dilutius est, eò faciliùs citiùsque fil-
tratur. Eadem sanguinis est conditio.

X X V. Quàm verum igitur est, diuresin na-
turalem à particularum sanguinis chylosarum & sero-
sarum cæterarumque irregularium æquabili mistura &
contemperatione; diminutam verò ab *harum*, & au-
ctam ab *illarum* abundantia pendere; tam ratum at-

B

que



que firmum esto, Diabetis causam efficientem proximam consistere in particularum chylosarum massæ sanguinæ aliarumque partium dissolutione atque in serosum laticem fusione.

X X V I. Nunc quod ad *secundum* : Unde nempe fermentū fusionem illam inducens (quod causam hujus morbi conjunctam esse, suprâ thes. XII. innui) suam habeat originem, dico, id massæ sanguinæ partibusque solidis, quæ deliquium patiuntur, vix aliunde, quàm à spiritibus animalibus à diatesi sua naturali, videlicet volatili nitro-ærea in acido-acrem & corrosivam degenerantibus subministrari posse.

X X V I I. Hi equidem à sanguine è sinistro cordis thalamo per arterias rectâ viâ ad caput ascendente per glandulosū cerebri plexū choroidem ipsumque conation secreti, indeque per nervorum tubulos ad partes delati, massæ sanguinæ in partium nutriendarum tubulis rursus permiscetur, peractōque, quod ad nutritionem conferunt, officio, in lympham condensantur, quæ per vasa lymphatica defluens, chylo & sanguini per venas ad sinistram cordis sinum refluxo redditur; qui motus spirituum animalium circulatio Anatomicis audit, dictæque th. præc. communicationis modum satis clarum reddit.

X X V I I I. Hinc omnium viscerum vitalium fermenta non possunt non citò depravari, ac tandem penitùs destrui: Cùm enim vigorem suum spiritibus animalibus per nervos influentibus debeant; his depravatis, illa quoque similem labem contrahere, omnes digestiones labefactari, nutritionem omninò de-



deficere, omnesque partes solidas unà cum humoribus deliquescere necesse est.

X X I X. Maximè verò renum fermentum hoc in morbo vitari contendimus. Unde sanguinis per arterias emulgentes influentis colliquatio & ad ureteres præcipitatio: Siquidem sapor urinosus, tale renibus fermentum naturaliter inesse, illis, qui hunc cibum in deliciis habent, satis superque demonstrat.

X X X. Quod itaque Cl. Willisius de succi nervosi depravatione huc affert, de spirituum animalium vicio veriùs affirmatur; quandoquidem ille liquor nunquam demonstratus fuit, nec demonstrari unquam poterit; imò verò ipsa nervorum structura densa & compacta non modò, sed varia quoque circa motum animale phenomena illam opinionem erroris convincunt.

X X X I. Quod denique *tertium* attinet; Quo modo liquamen illud serosum à sanguine seceratur, & ad ductus urinarios præcipitetur, noto I. Renum substantiam esse minimè glandulosam, aut parenchymaticam, ut hepatis, lienis, pancreatis &c. Sed ex innumeris tubulis membranaceis contextam, atque ad modum colatorii conformatam.

X X X I I. 2. Hos tubulos in renum peripheria arteriarum emulgentium ramusculis capillaribus junctos, in caput ureterum intra renes, seu pelyim, desinere serumque à sanguine arterioso per fermentationem ibi fieri solitam secedens eò deferre.

X X X I I I. Ex hisce igitur palàm est, secretionem lotii in renibus naturalem non modò, sed etiam



immodicam illam & præternaturalem in Diabete liquaminis ichorosi ex sanguinis massa ad meatus urinarios præcipationem per modum transcolationis fieri. Atque renes in hoc opere substantiæ suæ ratione purè passivè se habere, & instrumentalem tantùm; ratione fermenti urinosi verò priùs depravati, efficientem; tandem verò penitùs aboliti, deficientem causam esse.

XXXIV. Unde ad causas antecedentes internas, præter compagem sanguinis laxam, necessariò referenda est renum imbecillitas, seu tubulorum thes. 31. memoratorum nimia amplitudo & laxitas; quæ tanta in hoc morbo nonnunquam fuit, ut radiceis apii frustula cum urina rejecta fuerint, referente Julio A. Alexandrino in annot. ad cap. 14. lib. de subst. facult. natur. ut & semen anisi & grana alkekengi, teste Fabric. Hildano centur. 3. obs. 72.

XXXV. Hæc tubulorum renalium laxitas, si per medicamenta fortiter adstringentia, nondum sedato partium deliquio, corrigatur, serosi laticis eluvis in partibus circumrenalibus & hypogastrio subsistens tumorem, atroces dolores, aliasque graves in œconomia animali turbas concitare solet.

XXXVI. Ad causas hujus mali externas refero imprimis alimenta insigni vi diureticâ pollentia, ut & acria nimis & calida: Medicamenta quoque lithontripticâ & diuretica sine modo & ratione assumpta; quatenus sanguinis compagem laxant, modo thes. 22. explicato: Efficaciter hoc præstat aquarum thermalium & acidularum abusus. Prætereà huc pertinent alimenta nimis acria & calida: hæc enim particulas



culus sanguinis chylosas incidunt, fermentumque corrosivum adaugent. Sic à nimio vini usu, & piperati farciminis esu Diabetem inductum esse, notavit Amatus Lusitanus. Conferatur quoque Schenckius *Obs. Med.* l. 3. Tandem venena quædam septicâ vi prædita. A serpentis dypladis morsu diabetem fieri prodidit *Lid- delius*. Reliquarum sex rerum non naturalium excessus suum addit symbolum, præcipuè Veneris & motus.

XXXVII. De subjecto hujus affectus è dictis constat. Primarium nempè est tota sanguinis massa, omnesque partes solidæ, quatenus deliquium patiuntur. Secundarium, spiritus animales, lymphæ, viscerum fermenta, renes &c. in quantum mali causam fovent.

XXXIX. Distinguunt vulgò diabetem in *verum & spurium*: *illum* describunt per copiosam potulentorum non mutatorum mictionem; *Hunc* verò per colliquativum urinæ, diversæ tamen ab assumpto potu, profluvium.

XXXIX. Veriùs autem, me iudice, ratione temporis distinguitur in *inchoatum & consummatum*. *Inchoatus* cum Notho coincidit; *Consummatus* cum Vero. Nemo enim negare poterit in principio potum quodammodò alteratum excerni; in augmento verò & statu, quando omnes digestiones ob fermenta viscerum prorsus inertia & destructa, cessant, potulenta non mutata & cruda per vias urinarias reddi. Unde hoc tempore *Consummatum* potiùs, quàm *Verum* diabetem dixeris. Confer huc, quæ suprà thes. 6. 7. & 32. scripsi.

XL. Signa diagnostica, quæ affectum hunc

B 3

hunc



hunc extra dubium omne ponunt, sunt phænomena suprâ thes. 5. & seqq. enumerata. Verùm enim verò, cùm illa consummatum tantùm demonstrant; patientis verò maximè interfit, hunc hostem in principio statim cognosci; quæ incipientem detegunt, signa in aprium producere necesse est.

X L I. Quandoquidem verò in principio æger parùm curat, si plus solito mingat, quia ad potum aliamve causam externam id refert. Sæpe quoque illa copiosior mictio critica est & naturæ opus: Quare Diabetes incipiens ab his urinæ profluviiis bene distinguendus est. Considerandum itaque 1. an potus, cibus vel medicamenta diuretica assumpta fuerint, vel alia causa fluxum illum concitans præcesserit? 2. An illa excretio cum *ἰσφορία* fiat, ita ut commodum aliquod vel levamen morbi fortè prægressi inde percipiatur, & brevis sit? Tunc enim criticum est profluvium, & salva res.

X L I I. Si verò tale nîl adsit, insuperque excretio ita sensim sensimque incrementum sumat, ut tandem urinæ claræ & crudæ copia liquidorum assumptorum quantitatem notabiliter excedat, sitque continua, cum quodam debilitatis, siccitatis oris, ardoris interni, marasmi, atque, si urina aliquandiu retineatur, doloris gravativi & intumescentiæ in lumbis, testibus, coxis, sensu; de symptomatico profluvio, & Diabete incipiente ampliùs dubitandum non est.

X L I I I. Quod ad prognosin; malum hoc incipiens sine magno negotio sæpe curatur; quia sanguin-



guinis compages paululùm laxata facilè restituitur :
Confirmatum rarissimè ; quòd compages illa multùm
soluta vix unquam reducibilis est ; imprimis, si à ni-
mia venere, duris laboribus, febribus chronicis, simi-
live causa pendeat, senesque corripiat. Quandoquis-
dem ægrum ad extremam maciem, mortemque tan-
dem deducit.

X L I V. Antequàm ad curationem pro-
grediar, symptomatum rationes paucis trado. Sitis
inexplebilis oritur à miasmatis salinis, quatenus ab-
sumptâ per crebras mictiones parte sanguinis aquosâ,
dulci & chylosâ, sui juris facta, in filamentorum ven-
triculi & œsophagi nervosorum poros, spiculorum vi-
bratorum instar, irruentes particulas lubricas inde ex-
turbando, *corrugationem* nervorum stomachicorum,
non nisi multo potu compescendam, imò vix ac ne
vix demulcendam, inferunt. Videantur quæ hac de
re habet *De Saint Romain Scient. Natural. part. 4. c. 7.*
Atque *hujus motus* ad commune sensorium usque con-
tinuati occasione mens concipit tristem illam cogi-
tationem, quam *sitis* nomine exprimimus.

X L V. Similem corrugationem flammæ
particulæ corrosivæ in chorda superimposita, & mi-
asmata emancipata venenorum quorundam intra cor-
pus admissorû, v. c. arsenici, Mercurii sublimati corrosi-
vi, dyspadis serpentis &c. in ventriculi nervis excitant;
ideoque sitim inexplebilem inseparabiliter sibi junctam
habent; de quibus videatur maximè Venerandus Pater
Athanasius Kircherus, indefessus Naturæ scrutator, in
mund. subterr. lib. 9, sect. 2. Unde, si quid ve-
ne-



nenis istis analogon in Diabete peccare dixero, à veritate me non abluisse credo.

XLVI. Febris lenta & hectica iisdem particulis salinis, acribus & fermentativis agglomeratis, sanguinis mixtionem turbantibus, eundemque in paulò concitatioem in cordis thalamis effervescentiam urgentibus, suam debet originem.

XLVII. Nutritionis defectus à particularum pinguium & chylosarum in sanguinis massa defectu; tabes verò à corrosivarum, tam in spiritibus animalibus, quàm sanguine, abundantia pendet; vide quæ suprâ thes. 19. 20. 22. 25. 26. 28. & seqq. dixi.

XLVIII. Urinæ sapor salsedinis expers, est à diversorum salium acidi & alkali per fermentationem factâ combinatione, & si quando mellitus observatur, à sulphurearum & salinarum concretionem. Sulphurea enim & oleosa edulcorare salia posse, spiritus vini satis evincit, tam urinosa quàm acida temperare potens. Etenim mediâ æstate hic ipse sitim sedare solet. vid. *act. philosoph. Angl. Ann. 1667.*

XLIX. His expediris curationem tanti mali aggredior. Hanc magni inter veteres Medicos Heroës, Sennertus, Riverius, Jonstonus, Aliique ob verarum causarum ignorantiam solis adstringentibus ac stipticis tentari jubebant, sed minùs securè, ob mala, thes. 35. notata, inde emergentia.

L. Hinc Cl. Willis *pharm, rat. sect. 4. c. 4.* adstringentia propriè dicta, viz. austera, acerba & stiptica, v. c. cortices granatorum, balauslia, radices tormentillæ & similia, frustra, dictante id ratione & expe-



experientia, in Diabete adhiberi, doctè judicat. Et
Fr. de le Boë Sylvius talia adstringentia tantum com-
mendat, quæ simul acidum humorem concentrant
sal volatile quodammodo figunt, & acrimoniam saltem
infringunt. *prax. Med. lib. 1. c. 55. §. 25.*

X L I X. Ego secundum hypotheses superi-
ùs expositas indicationes curatorias ad sequentia capi-
ta refero. 1. Itaque salium corrosivorum, quæ sangui-
nem cæterasque partes fundunt, conjugia impedi-
da & dissolvenda sunt. 2. Massa sanguinea præter mo-
dum laxata & soluta ad naturalem compagem est re-
ducenda, ejusque acrimonia & acor temperanda. 3.
Viscera corroboranda. 4. Tandem (quæ secundaria in-
dicatio est, & prioribus obtentis facilè impletur) uri-
næ profluvium sistendum.

L. Indicationibus hisce satisfaciunt auxilia ex
fontibus, pharmaceutico & Diætetico hausta. Chirur-
gicus nullum in hoc morbo salutare remedium of-
fert. Commendârunt quidem V. S. in principio
morbi ad refrigerationem viscerum, Avicenna,
Ætius, Zacutus Lusitanus. Et concessit illam Ri-
verius, sed non nisi viribus adhuc constantibus, par-
cè & partitis vicibus administratam. Ast verò
quia in principio rarissimè ab agro observatur, ut
thes. 40. Notatum; nec viscerum astus ut causa
peccat, illud aliàs nobile præsidium hîc nihil profu-
turum, imò potius nociturum existimo. Unde re-
ctè Sennertus huic remedio, ob vires fractas & ple-
rumque prægressum alium morbum vix locum esse
judicat.

C

LL



L I. Ex pharmacia itaque commendanda sunt 1. Medicamenta sale alkalifato fixo prædita; quatenus juxta hypotheses supra expositas salis corrosivi particulas, quibus massa sanguinea & spiritus animales scotent, feliciter absorbent; proindeque earum congressus impediunt, partesque cum solidas, tum fluidas à deliquio liberant. Cujusmodi sunt oc. 69. corallia, perlæ, C. C. philosophicè calcinatum & ustum, os sepiæ, ebur, spodium ex ebore, unicornu fossile, terra sigillata, similesque pulveres testacei & terrestres.

L I I. 2. Viscosa ac glutinosa; quia sanguinis compagem laxam & dissolutam non minùs increasando, quàm salium corrosivorum spicula inviscando & obtundendo partium fusionem impediunt. Quod potenter præstant gummata & resinæ; v. c. thus, gummi Arabicum, tragacanthum, mastiche: Unde profunt species diatragacanth. frigid. Electuar. resumptivi, diapenid. pulvis Haly Abb. tabulatum althææ, rosarum, amyllum &c. Huc referri quoque possent nostratum arborum, pruni & cerasi, gummata. Nec minùs mucilaginosæ; ut sunt radices symphyti, althææ &c. Sirupi d. symphyto, althææ, mastichinus. Mucilagine sem. psillii, cydonior. Galreda C. C. Quò referendæ quoque sunt emulsiones pingues & oleosæ, amygdal. dulc. sem. 4. frigid. maj. lactuc. papaver. alb. portulacæ, similiumque; quatenus particulas chylosas suppeditando sanguinis crasin redintegrant.

L I I I. 3. Salia quædam volatilisantia, quæ
spi.



spiritibus animalibus naturalem crasin restituunt, viscerumque fermenta confortant. Qualia sunt sal volatile succini, armoniac. c. σ te sublimat. sal oleosum Sylvij, Tinct. σ tis sine acido parata, Tinct. ζ nij tartarifata, tinct. corall. Sp. fuligin. C. C. Salis armoniaci coralliatus. Horum pleraque, licet insigniter sint diuretica, præter viscerum confortationem, tamen etiam, si cum circumspectione & idoneo vehiculo exhibeantur, sanguinis fusionem, quatenus cum particulis salinis conjugium promptè ineunt, easque secum ex corpore eliminant, præcavere posse, nullus dubito. Et ob hanc rationem etiam calcis vivæ infusum ad ζ ij vel iv . ter in die, præmissâ tamen semper dosi medicamenti cujusdam viscosi aut mucilaginosi, à Cl. Willis laudatum legimus *pharm. rat. S. 4. c. 4.*

L I V. Præter hæc, viscera insigniter corroborant species diarrhodon Abb. Diatr: santal. pulvis hepaticus ruber Tinct. Smaragdi, cachectica Timæi, Crocus σ tis rubicundissimus, & ferè omnia medicamenta parata ex Marte, in quo Diabetis specificum positum esse existimat *Grülingius Medic. præct. lib. 4. part. 2. c. 8.* Unde Tinctura lapidis Hæmatitis, quia de Marte participat, insignium erit virium, præcipuè illa, quam ex floribus hujus lapidis paulò magis aperientem parare docet *Jacobus le Mort Chym. Med. phys. p. 256.*

L V. 4. Hypnotica: Hæc, in quantum salium corrosivorum ferociam nonnihil compescunt, sanguinisque ac spirituum animalium effervescentiam



mitigant, hinc suam non carent laude. Diacodium, theriaca recens, praecipue coelestis, Laudanum Helmontianum, ejusque tinctura, laudanum liquidum cydoniatum vel tartarifatum, & similia hora somni iusta dosi exhibita praeter alia conveniunt.

L V I. Externa remedia; unguenta, cataplasmata, fomenta & similia ex modice adstringentibus & refrigerantibus paranda, & lumborum regioni applicanda, quorum farraginem apud *Forestum*, *Riverium*, *Grülingium*, aliosque videre licet, negligenda non sunt.

L V I I. Purgantia diuretica ac diaphoretica Cl. Sennertus merito rejicit. Si tamen locus ipsis nunquam esse videatur, eligantur mitiora refrigerantibus & subadstringentibus cordialibus castigata; quorum formulas tradidit *Cl. Riverius Prax. Med. lib. 8. c. 7.*

L V I I I. Dieta sit incrassans & moderate adstringens. Aer ad frigiditatem inclinet, sitque purus. Conveniunt alimenta mucilaginoso, chylosa atque glutinosa, quatenus chylosam sanguinis partem restituant, spiritulaque salina lentore suo obtundunt. Talia sunt cremor tritici, fagopyri, hordei, avenae; ~~panes & juscula~~ ex farina tritici, amylo vel oryza cum lacte parata. Caro animalium juniorum v. c. agnorum, haedorum, porcellorum &c. Et jus pedum ac capitum illorum viscosum; gelatinae, juscula amygdalata. Radices scorzoneræ, tragopogi. Lac bubulum & ovillum, ob particulas butyrosas quibus scater, singulis horis matutinis haustum, instar omnium est: Ustulatio ejus à Cl. Riverio praescripta nullius momenti est.

cus



cus & pinguis; prodest cerevisia ex tritico parata, multo lupulo condita nocet. Haustus vini rubelli subadstringentis assuetis concedi potest. Nocent omnia alimenta acra, acida, calida, muriâ condita & fumo durata. Quies maximè prodest & somnus, Venus omninò frigeat, & vitentur animi pathemata vehementiora. Hæc sunt illa pauca, quæ de gravi hoc affectu proponere volui. Interim Deo O. M. Summo Archiatro; sit Honor & Gloria in secula seculorum.

Corollaria.

- I. **T**ransfusio sanguinis è bruto in hominem, vel ex homine in hominem, à Pontifice Maximo non ex levibus causis est abrogata, ideoque nunquam tentanda.
- II. *Quamvis Diabetes hætenus, quantum novi, nunquam epidemius fuerit, eum tamen causarum secundarum nexu concurrente, eo modo, quo sudor colliquativus anno 1486. & seqq. in Anglia epidemius factus est, talem quoque fieri posse, dubium non est.*
- III. *Qualitates Peripateticorum manifestæ v. g. caliditas, frigiditas, siccitas, durities &c. non magis manifestæ sunt, atque vis v. c. rhabarbari purgandi bilem, opii narcotica, scordii alexipharmaca, cæteræque occultæ vulgò dictæ.*

C 3

IV. Co-



IV. Coctio alimentorum in Ventriculo non fit per elixationem, sed fermentationem blandam & quasi colliquescentiam.

V. Ventriculi fermentum in homine non est manifestè acidum, nec acre, naturaliter; sed spirituosum. Etenim est lymphæ à glandulis ventriculi in ejus cavitatem indefinenter stillans.

VI. Mens nec chylificat, nec sanguificat, nec corpus sibi in utero format &c. sed tantùm cogitat.

VII. Copiosa illa eluvies, quæ ab epoto purgante fortiori excerni solet, sub illa forma non inest corpori, nihil enim aliud est, quàm sanguis laudabilis in ichores excrementitios à vi medicamenti deleteria fusus.

VIII. Vena sectio, Vomitus & Purgatio, quamvis lenioribus concitata, in peste & febribus pestilentibus quovis morbi tempore maxime nocent.

IX. Magisteria coralliorum, pèrlarum lapidumque pretiosorum nil, nisi capita mortua, sunt.

Errata.

Thes. V. lin. 2. lege celeris. Tb. XII. lin. 5. post vocem corollivâ, interpone præditum. Reliqua B. L. ipse corriget.



01 A 66 06

ULB Halle 3
002 937 204



Sb.

V 17







I. N. J.
DISPUTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
De
DIABETE,

40
4

QUAM
Assistente Divini Numinis Gratiâ
Indultu
INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ
In
ILLUSTRI ACADEMIA HASSO SCHAUMBURGICA
Sub PRÆSIDIO
VIRI *Experientissimi & Clarissimi*
DN.

JOHANNIS GERHARDI

M B N D M S R /

Philos. & Medicinæ Doctoris, Hujusdemque, ut & Physices
Professoris Ordinarii, h. t. DECANI spectabilis,
Promotoris & Patroni sui æternum devenerandi,

Pro LICENTIA

Summos in Medicina HONORES & PRIVILE-
GIA DOCTORALIA legitimè capeßendi

Publico examini solito more sistit

In AUDITORIO MAJORI.

Ad dies 6. & 7. Aprilis, horis antemeridianis.

JOHANNES HENRICUS OTTERSMAN,
Paderbornensis.

RINTELII, Typis Godof. C. Wächters / Acad, Typ. An. 1685: